

37-5-13
6 8
S. IGNATIUS
L O Y O L A

PROFANI MARTIS TRANSFUGA,⁶³

AC BELLICI HONORIS TRIUMPHATOR.

C A R M E N

ALOYSII DE ANNA E SOCIETATE JESU,

Ad Illustrissimum Dominum

D. ALFONSVM PEREZ.

E T A R A C A E L I

Sacri Consilii Præsidentem, atque à Latere
Regentem.



NEAPOLI, Ex Typographia Nicolai Antonii Solofrano 1704.
Superiorum Licentia,

34. S. F. 40

ILLUSTRISSIMO DOMINO
D. ALFONSO PEREZ,

ET ARACÆLI

S. C. Præsidenti, ac Regenti à Latere.

ALOYSIVS DE ANNA E SOC. JESU

S A L. P L V R.

Minima etiam munuscula Maximis Viris gratissima accidere solent : sive quod vel inde illorum Magnitudo clarior existat : sive quod ea , ut ut minima , plerumque magnum offerentis præ se animum ferant . hinc futurum reor , Alfonse S.C. Præsidens Illusterrime , ut libellum bunc , quem ceteroqui ut & mole & pretio minimum Tibi vel ostendere erubescerem , ea benignitate , atque humanitate , qua cetera soles , hoc est quanta maxima , excipias . Quid quod , si penitus introspiciatur res , & muneris nomine , quod in speciem jactat , re ipsa caret , & ex hoc etiam Tibi carior graviorque est futurus ? nam , cum Ignatium Loyolam profani Morsis Transfugam gloriosum , novæ Cobortis sub Iesu signis Ducem , atque Honoris bellici Triumphatorem multò glorioissimum poëtico delineatum exprimas penicillo , propinquitatis quodam jure evadit Tuus . Scimus enim Franciscum Xaverium Ignatii filiorum maximum materna cognatione Tibi conjunctissimum ; ex quo fit , ut paternæ isthac laudis bæreditas ad Te pertineat . quis enim nisi maximi Filii Hæres propinquior

amplissimum hoc gloriae obtineat patrimonium ? merito igitur
libellum bunc Tuum , Vir Illustrissime , in Tuo sinu depono.
Sed Te etiam , atque etiam rogo obtestorque ut , si forte ma-
gnæ rerum , consiliorumque moles , qua totum hoc Regnum su-
stinet , vacare Te sinat , illum identidem relegas : equum
enim est nonnunquam , severioribus curis intermissis , ad sua-
viores Musas paulèm secedere : mibique erit perbonorificum
Carmina bæc mea lectitari ab Eo , cuius Ingenio probantur
litteræ , Exemplo suadentur , Foventur Patrocinio . interea hoc
observantiae in Te meæ non obscurum testimonium Tua Hu-
manitas ne dedignetur : ita enim novas ingenio meo faces , ac
novum calcar adiiciet . Vale tandem , Præsidens Illustrissime ; az
siquid amplius à Te mibi flagitari fas est , patere , ut Tuæ
Amplitudini perpetuum obsequium famulatumque devoveam.



A. M.

A. M. D. G.

P R O L V S I O.



Uod primum Parens, & Conditor S. I. Ignatius auctore, ac duce Deo, edidit facinus, id profectò dignissimum est, in quo commendando immortalitati Heroica potissimum insudet Poësis, Præsidens Illustriss., ac Proceres & generis claritudine, & sapientiae laude, & honorum insignibus amplissimi. Quantum enim est egregium bellatorem abdicatâ profani Martis militiâ, non triarii, sed Ducus munere Christianæ Militiæ nomen dare? Hoc enimverò præstítit. Siquidem cum fese ad Christi Domini, Sanctorumque secessione vestigia ex piorum lectione librorum occulto quodam instinctu acriter sensisset impelli, summum repente fastidium, odiumque concepit eorum, quæ apud Mortales prima putantur. Quare vitæ prioris pertæsus, nuntio rebus humanis remisso, ubi primùm è vulnere convaluit ad Montem Serratum Religionis causâ profectus est. Quò simulatque pervenit, celeberrimum Beatæ Virginis templum ingressus, nihil habuit antiquius, quàm ut contractas animi fordes per totius antea&ævitæ confessionem expiaret. Deinde intempestæ noctis silentio, pro nobilium equitum more, qui antequàm in ordines referrentur, noctem unam armati excubabant in templis (quod ab Hispanis pervigilium armorum appellatur) militarem illum ritum ad Christianæ perfectionis transtulit rudimenta. Ergo aatè aram Virginis, suspensis è tholo armis, novo armorum gen-

genere instructus, eam ipsam noctem pervigil divino se se cultui devovit, Deo in posterum sub augustissimi nominis Jesu vexillo, ac tantæ Virginis auspicio militatus. Præclarum hoc facinus. Heroico Carmine nobis adornandum suscepimus in præsentia. Verum cum Poëtis, præsertim tyronibus, optandus Meccenas sit, cuius clientelâ, ac patrocínio ab invidorum ictibus se defendant, Te potissimum, & Patroni, & Meccenatis nomine hic appello, Alfonse Sacri Consilii Præsidens, ac Regens à latere Illustrissime; Tibi enim, cui cum Francisco Xavierio Ignatii filiorum maximo intercedit materna cognatio, atque propinquitas, jure quodam cognitionis Carmen hoc debetur. Quod ergo Tuum est (neque enim nobis fas est in hoc, quemadmodum iis, qui munus aliquod offerunt, vel minimum gloriari) quod inquam Tuum est, Tibi reddimus. At Poëticus iste lusus, ut ut Amplitudini Tuæ parùm respondens videri cuiquam possit, non tamen alienus ab Ingenii Tui felicitate, quâ non ardua modo, atque sublimia in disciplinis attingis, scrutaris intima, ac penitissima, sed pulchra etiam, si quis aliis, amplecteris, & amcena. Accipe igitur, Præsidens Illustrissime, vosque omnes, Proceres lectissimi, accipite nostri hujus Carminis Argumentum.

Ignatius (quem Bertramide de Patris nomine identidem appellamus) accepto vulnere in Pompejopolis propagnatione lectulo affixus, cum fallendi temporis causâ præclara virtutum exempla ab insignibus Sanctimonianâ Viris edita lexitare cœpisset, arcanâ quadam vi pertenatus, eorundem vestigiis inhærere velle secum ipse constituit. Interea per quietem illi videndum se se præbet Princeps Apostolorum Petrus, qui eum novæ militiae Ducem divinitus jussum ad bellum Erebo inferendum excitat,

tat , curatoque vulnere optatissimam illi restituit valetudinem : jamque militie , ac militaris glorie affatim pertensus Ignatius novum vitae genus ingreditur . At verò illum nova bella animo meditantem Tisiphone bellici Honoris vultum mentita avocare , atque avertere à suscepto consilio nititur frustrà . Näm propositi tenax Ignatius ad Montem Serratum proficiscitur Beatæ Virginis opem ex postulaturus . Ingresso templum repente divina quædam oborta lux est tanta , tamque mirifica , ut momento penè temporis condendam à se Societatem , aliaque plurima clare perspexerit . Mox eidem B. Virgo se se palam ostendit , quâ visione cumulatissimo gaudio delibutus Ignatius Deo , ac tantæ Virginis se se devovens , arma , quibus anteā profano Marti meruerat , antè Aram è tholo suspedit . Inermem illum novis armis instruit è cælo delapsa putu Virginis Divina Gloria , quam Theodoxiæ nomine insignimus . Namque illi Clypeum adamantium obtulit , in quo augustissimum Iesu nomen pyropis erat inscriptum , ac spiritualium Exercitiorum Volumen : hoc verò dum dextrâ corripit Ignatius , repente in gladium vertitur . Interea loci , ac temporis , veluti discedente scena , longè alia se se rerum facies exhibit . Nempe cum ea Virginis , ac Theodoxiæ visio abiit ex oculis , larvata rursus Tisiphone apparet ; ac suspensa è tholo refigens arma illum effictim rogat , ne sibi bellicas invidens laudes Martini nuncium remittat . Id indignè ferens Ignatius divinis instructus armis in Larvam irruens , adacto per latus gladio , hostem conficit : ac tandem devicti Honoris spolia , suaque arma iterum è Tholo suspendens Virginis trophæum immortale constituit .

C A R M E N

QVæ nova Jessæo surgunt Capitelia templo ?
Quis fragor ò ? geminant resonos Diuūm agmina
Ac Loyolæis latè fremit aura triumphis. (plausus)
Scilicet ipse sui victor Loyola , Gradivi
Aufugiens campis , trabeas exofus avitas ,
Armorumque decus , meritæque insignia palmæ
Laurigeras agitat supera ad convexa quadrigas.

Cernitis ? Aligerūm densis in millibus Heros
Fertur ovans , victi spoliis Acherontis onustus :
Ponè subit positis Mavors inglorius armis ,
Larvaque belligerum simulans furialis Honorem.
At quis opes Juveni Hesperio largitur , Averni
Poscere queis possit tanta in certamina turmas ?

Tu , Superūm Regina , polo delapsa morantem
Divinis agis auspiciis : Theodoxia nutù
Deinde tuo parens cælestibus induit armis.
Tu modò , Bertramidæ soluunt dum pensa Parenti
Debita Pierides , nostris allabere plectris.
Tu vatem , tu Diva , præi ; tecumque per auras
Evehe , quò primâ repetens ab origine possim
Abdita tantarum penetralia volvere rerum.

Tu quoque , non unum spirant cui Nestora Mores ,
Astræamque , regis summum qui ritè Senatum ,
Huc ades , ò Alfonsæ , animumque huc flecte , severas
Tantis pèr curas depone , atque aspice lusus
Bertramidæ magno noster quos sacrat Apollo.
O ades , agnatum jaëtas ab origine quandò
Saberiden , similemque animum non degener ; hic Te
Sistat amor Patriæ , laudesque ac gesta Tuorum :

B

Nan-

Nanque , vt Gradivi magnis Ignatius ausis ,
 Sic pietate potens , domitoque insignis Averno ,
 Hispanum nomen , famamque æquavit olymbo .

Postquam Bertramides flammanti sauciūs iectu
 Concidit exorti Pompej ad mænia fato ,
 Illum fida cohors mœrentem , ac sœua minantem
 Hostibus excidia in patrios comitata penates
 Duxit : & impositum thalamo , multaque cruentum
 Cæde virūm , lymphis jam tum tergitque , fovetque
 Dilectus Phœbo antè alias insignis Amylcon
 Asturides , cui plectra manu , cui spicula quondam
 Ipse suo dederat , sua munera , lætus alumno
 Cynthius , & medicas tractare potentius artes .

Clamat acerbà fremens thalamo suffultus eburno
 Bertramides , magno Procerum , mœstique parentis
 Concursu : fecet ossa , sinum , penitusque latebras
 Vulneris inspiciat ; ferrum applicet , applicet ignem .

Jamque manu medicâ senior luxata reponit
 Ossa loco , religatque tenacibus oblita vinclis
 Pæonio de more , levique aspergine vulnus
 Lustrat , & ambrosiae dictamnum , ac balsama miscet .
 Interea , quò longa thori fastidia fallat
 Magnanimūm Heroum fastos , monumentaque poscit
 Impatiens Loyola , animum queis æmula Virtus
 Excitet , & stimulis studia ad mavortia fingat .
 Sed frustra monumenta Ducum , fastosque requirit :
 Quippe die Pietas illo subduxit , honesto
 Vsa dolo : diâ pectus succendere flammā
 Bertramidæ meditans : ac nulli visa volumen
 Obtulit , undè sacros passim menshauriat ignes .
 Nanque hic Indigetum nomen mirere , decusque ,
 Multaque tartareo prærepta trophæa tyranno .

Seu

Seu qui, jam sceptris procul, & natalibus aulis,
 Mortali extores solio, & terrestrialium inanes,
 Felici exilio, cæli tenerum inter amorem,
 Altorum nemorum vitam duxere sub umbris:
 Seu qui, Romulidumque Aras, ac Sacra Quirini,
 Magnanimi Heroës testati sanguine, vitam
 Projecere, animasque ultrò per tela dedere:
 Quique ausi, Metanæa, tuis assuescere pœnis,
 Molliaque hamatis proscindere membra flagellis:
 Aut qui virgineo pubentes flore, Dionen,
 Et paphii fævos lusere Cupidinis arcus.

Hæc pia Cælicolūm relegens exempla, revolvit
 Multa animo secum, dioquæ exæstuat igni
 Bertramides: nunc ima sinu suspiria dicit,
 Nunc lacrymis rigat ora; novis jam pectora votis
 Assurguit; pudet armorum, pudet horrida Martis
 Castra sequi: mentemque subit generosa Cupido,
 Marte procul, castris Regum, signisque relictis
 Bella redordiri, ac cælo dare nomina, Divis
 Auspicibus tantorum operum: jam jamque recursant
 Cælicolūm portenta animo; exultantiaque haurit
 Corda vigor pulsans: infixi pectore mores
 Præclaræque hærent laudes: Vis æmula gliscit
 Berramidæ, & stimulis properantem ad summa fatigat.

Qualis, ubi objectas perrupit gurgite moles
 Aut Tanais Pater, aut cornu septemplice Nilus,
 In pontum obliquis cunctantem erroribus undam
 Vrget ovans, sylvas blandæque repagula ripæ,
 Palmarumque moras dudum indignatus, in altum
 Influit; haud se se tenet unda, potitur aperto
 Æquore, mox tandem pelago spatiata quiescit.

Haud secùs, angustæ exosus confinia metæ

Bertramides jam se major, magistria temnit
 Arma ferox, nova bella, ausis majoribus, ardet,
 Sectarique Duces sua per vestigia Divos.
 Hic se se effundit, vincunt ea gaudia pectus :
 Indulgetque animo, magnumque exercet amorem.

Nox erat, & fusis tellurem amplexa tenebris
 Mulcebat placido mortalia corpora somno :
 Ipsi etiam fessos Loyolæ inopina per artus
 Funditur alma quies . subito cum lapsus olympi
 Claviger, ætheriæ custos fidissimus aulæ
 Improvisus adest : thalamumque ingressus, opacas
 Ilicet immenso tenebras , noctemque fugavit
 Lumine : nanque olli ex oculis, atque ore corusci
 Absistunt radii . spondâ dein fultus eburnâ
 Incipit : Ignavo claudis quid lumina somno,
 Bertramide ? vigila : neque enim tibi ducere fas est
 Otia, degenerem nec te sopor arguat , adsum
 (Ne dubita, neu vana putas te somnia falsis
 Ludere imaginibus) cæli demissus ab arce
 Sacrorum, ac Fidei Columen, cui summa potestas
 Tradita , sidereum referare , & claudere limen.

Excutitur somno, ac tandem sibi redditus Heros
 Incanos novit crines, incanaque menta
 Romani Patris, ac Numen veneratus amicum est.
 Tum Senior : Beli:ò magnis defuncte periclis,
 Bertramide , alterius tentare pericula Martis,
 Author ego, jubet Omnipotens ; mihi cura mederi
 Vulneribus, tibi Cælicolum succedere castris.
 Auspicio meliore, novisque accingier armis.
 Macie animi virtute, tuum victoria Martem.
 Annuet, innumeras spondent tibi sidera palmas :
 Sub Loyolæis jure omnia bella maniplis.

Discordi ex Erebi regno ventura quiescent.
Splendidiūs referes vīctor sine clade triumphos
Quām si vicinis nūnc Gadibus ultima jungas
Regna Gelonorum, aut fontes tremefeceris Hebri,
Nec Te Europa cāpit : Te latis didita terris
Afrīca , Te poscunt Asie vastissima Regna .
Nam quæ colluvies scelerum , quæ monstra profundo
Eluctata Erebo terris (miserabile visu !)
Iacubuere : furunt immis̄sis undique habenis.
Aspice (nanque tibi, quæ nunc offusa tuenti
Eripiam ex oculis nubem, quò dissita longè
Obtutu facili portenta hæc omnia cernas)

Hic, ubi præruptis saxa impendentia faxis
Erigit insultans cælo Appenninus, ubi Alpes
Stant nive, & immani propellunt nubila dorso
Luxus, & insanis bacchata licentia lustris
Degeneres populorum animos, ignavaque corda
Obsedere : tenent Vesulum, summumque Taburnum
Sylamque, & Gaurum, fœcundamque ignibus Æthnam.
Ipse Padus, viden, ipse Athēsis quo gurgite ripas
Proterat, effrænique petat maria alta tumultu ?
(Heu pietas !) populi hæc latè bacchantis imago est.
Nullus honos legum, Themis exulat, exulat omnis
Virtutum chorus : illecebræ, fraudesque, dolique
Vrbibus exultant mediis, atque omnia versant.
Hinc Rhodanus, Lygerisque, illinc Rhenusque bicornis,
Horrendūmque sonans Tamesis, Scaldisque, Tyrasque
Vndantes bello Romanas funditūs instant
Vertere opes, folioque Fidem prosternere avito.
Flecte oculos, quæ se densis vastissima sylvis
Porrigit, ac longis Atlantidis Amphitrites
Tractibus hinc, atque hinc circum. Afrīca cingitus saltu
Hac

Hic Pharon, hic Meroën frēcundat gurgite Nilus:
 Alluit hic Numidas, Libyæque ardentis arenas.
 Bagrada, devictæ insultans Carthaginis urnæ.
 Hæc omnis regio Romani nescia Ritus
 Fictiliūm cultu Divūm simulacra profano
 Et Cilicum messe, & pingui veneratur acerrā.
 At præcul extremos Afriæ nunc respice fines:
 Augustum hic quondam solium, sedesque locavit
 Vana Supersticio. centum olli immania surgunt
 Æmula romanis phrygio de marmore templa
 Vrbibus in mediis; centumque altaria fumant
 Thure parætonio, & panchææ frugis acervo.
 Illa volans, rapidis invecta draconibus, urbes
 Et juga: jam Tanaim, jam læta revisit Orontem:
 Jamque manus sacras felici è germine cedros
 Inter odoratum Libani nemus, inter Idumes
 Arva, triumphales gestit jam carpere palmas.
 Illius imperio parent Tygrisque, Lycusque,
 Et Ganges gemmis, atque auro turbidus: Orco
 Gens omnis devota, sacris operata profanis,
 Quæ sibi multiplici finxit Simulacra figurâ,
 Vana colit: flagrant studiis ardentibus Aræ,
 Celsaque votivis fulgent laquearia donis.
 Eja age, Bertramide, Numen jubet, exere vires,
 Aude animis: validam in Ditem molire cohortem.
 Te duce pulsâ suis è finibus omnia cedant
 Monstra, tuis passim jaceant prostrata sub armis:
 Ipsa Supersticio centum religata catenis
 Fracta ruens simulacra super fremat, inde draconum
 Irritans rabiem, stygias se immittat in umbras.
 Romuleis, I, rumpe moras, orbem imbue Sacris:
 Assere tartareis quæ nunc obnoxia vinclis.

Colla gemunt, sordes lustralibus ablue lymphis.
 Iamne vides? nova succrescit seges integra palmis;
 Quæque diu latuit, nunc tandem maxima prodit
 Ammerice; se se ipsa tuo fert obuia Marti
 Auctura ingentes, quamquam postrema, triumphos.
 Quæ mora? Bertramide, fidum fer pectus in hostes,
 I, molire manu flammæ tormenta trisulcæ,
 Tarpeiis sacrum jaculare ex arcibus ignem:
 Palma tua est; nec te belli discrimina, nec te
 Terreat arma tenens Erebus, nec vulnera tardent;
 Nanque salus tibi parta: tuli cælestia mecum
 Balsama, quæ vires reparent quæ vulnera curent.

Dixit, & ambrosiæ succos, ac balsama fudit
 Vulneris os liniens (dictu mirabile) fugit
 Ecce dolor! nusquam vulnus, non ipsa cicatrix
 Cernitur, & solitæ redeunt in pristina vires!
 Tum verò avertens Senior, nimboque curuli
 Invehitur, patrioque redux succedit olympos.

Intera tantis percussus pectora monstros
 Hæret, & attonito similis, nunc horrida bella
 Bertramides, nunc visa animo portenta volutat.
 Et jam jamque ferox Ditem in certamina poscit,
 Ac juvat instanti caput objectare periclo:
 Iamque anceps, trepidus rerum, metuensque pericli
 Despondetque animum, & certamina tanta recusat.

Non secus, atque idem Senior cum lapsa per auræ
 Lintea, terrificis horrentia lintea monstros
 Vedit, & obscænas volucres, viridesque colubros
 Mandere jussus, inops animi, auersusque refugit.

Tandem corripuit se se, stratisque relictis
 Firma solo fixit vestigia: deinde supinas
 Pronus humi palmas tollens non immemor Heros

Fert

Fert tibi promeritas, Senior sanctissime, grates.

Ecce autem ingenti ~~intremuit~~ concussa tumultu
 Loyolæ domus omnis, & ardua visa repente
 Culmina subsiliisse : furens accincta tridenti
 Tisiphone, sociasque vocans ab Dite sorores,
 Fundamenta quatit: turbato pectorè primùm
 Substittit, indè animum firmans Loyola : Furorem
 Nosco, ait, Eumenidum, Ditis molimina nosco,
 Atque Erebi fremitus : tremor hic me in prælia poscit:
 Ibo animis contra ; certum est melioribus ausis
 Arma sequi divina, diu nam lusimus ; ordo
 Nunc aliis belli jāni vertitur . auspice cælo,
 Monstra inter domita, & lethææ cædis acervos,
 Ritè mihi quærenda situ marcescere laurus
 Nescia, quæque annos gaudent evincere palmæ.

Jamque, ejurato victor Loyola Gradivo,
 Militiæ morem, &, quondam sua gaudia, curas
 Exuit infelix studiorum, oditque faventum
 Quos dudum meruit, famæ ludibria, plausus.
 Non illum aut litui, aut rauci canor excitat æris
 Martius, aut siquâ reboant resonantia longè
 Tympana, Loricas avertitur, & pede cristas,
 Cassidaque, clypeosque, ensemque, ac balthea calcat.
 Quid decus, aut prostrata juvant ingentia campis
 Agmina, & hostili quondam rubuisse cruento ?
 Ipse etiam adversas solitus perrumpere turmas
 Calcibus insultans sonipes bellator, & auras
 Terrificis latè completere hinnitibus, alto
 Despectus mœret stabulo : nec jam arma, sonantes
 Audiet aut frænos, pugnamve animosus inibit,
 Aut dominum pugnâ referet jam victor ovantem.

Non ea cura animo, non hæc studia improba bellî

Ber-

Bertramidæ : tacitum stimulant cælestia pectus
 Visa : novo rerum cernit sua cardine duci
 Fata, nec assuetis mens æstuat ignibus, & jam
 Fixum animo patriis dare terga penatibus, ævum
 Ac trahere in solis extrema per omnia sylvis.

Deserti interea monitis educta Gradivi
 Tisiphone, saevis frontem populata colubris,
 Hesperias, linquens Erebum, devenit ad oras,
 Tartareamque manu tædam projecit ; Honori
 Omnia belligero similis, vultumque, coloremque,
 Et roscam chlamydem, & referentem electra cothurnum ;
 Dextera nanque ingens de more hostile coruscat,
 Læva tenet clypeum, galeâ caput emicat aureâ,
 Ense latus, squamis loricæ pectus ahenis.
 Ergo vbi Bertramiden proprius conspexit euntem,
 Tendentemque fugâ cæli quò signa vocabant,
 Belliger his revocat dictis Honor : Hoc mihi de te
 Pollicitus, tua cum, Iuvenis fortissime, bellî
 Clara rudimenta, ac nulli vincenda sequentum
 Militiae auspicia, atque ingentia vidimus ausa ?
 Huc mea te incolumem pugnis servabat inquis
 Dextera ? & huc patrii Martis te cura fovebat ?
 Heu quò belligeræ tibi laudis adorea cessit ?
 Quò fugis ? an timidum arguerint te vulnera ? terrent
 Vulnera degeneres animos : ignobile vulgus
 Intactam squamis, nullo & mucrone petitam
 Circumdet loricam humeris. sparsa arma cruento
 Magnanimos deceant . cessas in bella, necesse
 Bertramide ? cessas ? tua bello vivida virtus
 Adversas acies, hostiliaque agmina longè
 Arceat Hesperiis è finibus . ah quid inultus,
 Quidue anceps hæres ? quæ mentem insania vertit ?

Quid consanguinei Proceres, quidue æmula dicet
Gallia, deserto fugias si castra Gradivo?

Talibus instantem stimulis, ac plura parantem
Bertramides procul aufugiens elusit Erinnyn:
Obfirmansque animum, magnis insistere ceptis
Exul, ovans tendit. subitas exarsit in iras
Tisiphone, larvamque dedit discerpere ventis,
Bertramidæ contempta fugâ; nec jam ausa fugacem
Sistere, tænariis præceps se condidit umbris.
Ille ad Serrati contendens culmina Montis
Incomitatus, & arcano depastus ab igni
Ibat, & ætherias voluebat pectore curas.
Iamque ascendebat rupem, cum Virginis Antrum
Incipit apparere: gradum Loyola repressit
Suppliciter lætus, flexo dein poplite adorat
Te, Superum Regina potens, ac talia fatur.

Alma Parens, quæ Serrati fastigia Montis
Summa tenes, cuius lustro novus advena sedem,
Nuhc ades, Hesperii fugientem castra Gradivi
Accipe Bertramiden Cælo data ligna sequutum.

Dixit: & inceptum celerans iter, ardua cursu
Saxa petit: qualis fulvâ cervice leænam,
Cum catulus notâ sylvæ regione recessit,
Agnoscens longè; obstantes per devia dumos
Exultans animis pede proterit. Est procul ingens
Serrati latere in Montis specus, horrida latè
Hinc atque hinc nemorum objectu super incubat umbra
Speluncæ ad fauces centum sublime columnis
Iessæ templum candenti è marmore Divæ
Surgit, & aurato collucent limina tecto.
Iam se se intulerat foribus Loyola superbis,
Cum subito antè oculos ruere ætherea visa corusco

Tempestas radiorum, atque astra ardentia passim
 Per templum volitare : novo se scena theatro
 Explicat, ætheriæ referans spectacula pompæ:
 Nanque videbat , uti sectum diffusa per orbem
 Agmina tartareas vastarent cæde catervas,
 Ac debellatis, mundi latera omnia , monitris
 Placarent, raptis ad ovantia castra trophæis.
 Sub juga jam Pœnum, &, genus intractabile, Colchos
 Miserat hinc delecta manus, manus altera Medos
 Hircanasque acies, & Cæruleos Agathyrfos :
 Indè Caledonias immensa per æquora prædas
 Viætores alii raptant ; mixtique trahuntur
 Sauromatae, Morinique, sagittiferique Geloni.
 Se quoque fidereis fulgentem agnovit in armis.
 Ducentem sacras bella ad cælestia turmas :
 Miratusque novam sobolem, ac viætricia secum
 Agmina fatorum non immemor inclytus Heros
 Lætitiâ nequit expleri, ignescitque tuendo.

Ecce autem Aligerûm densa inter millia Divûm
 Visa polo properè labi Iesseja Virgo,
 Ambrosiam placido spirans Thaumantida vultu :
 Fulvus apex capiti crinalibus ardet ab astris,
 Et circumfusus trabeæ pro tegmine Titan
 Corpus obit, sed Luna pedum vestigia lambit.
 Obstupuit tantæ percussus numine Divæ
 Bertramides, tacitusque hæret : dein pectus anhelum,
 Et lacrymis tumida ora solo prosternit ; & hauſtu
 Ætherio exundans (avidis nam flamma medullis
 Inſinuat ſe ſe) languens, viætusque fatiscit .
 At verò ut primùm dio labefactus ab igni
 Concidit, Aligerûm subito cælestis Amorum
 Nectareos properans succos manus advolat, omnemque

Ilicet irriguisflammam compescuit undis,
 Igneaque egelido lenivit corda flabello.
 Tum sic orfa loqui Virgo : Timor omnis abesto,
 Bertramide, Superum jam nunc assuesce beatis
 Miseri Ordinibus, superas aucture cohortes.
 Me Duce trans Rhodopen, trans Gargara, trans Erymantum
 Agmen age, & signis lustra victricibus orbem :
 Nulla tuæ sine Me committent prælia turmæ,
 Nusquam abero : dabit hæc animos assueta triumphis
 Dextera, letheo rapiens spolia ampla tyranno,
 Evehet emeritas cæli super astra quadrigas.
 Vix ea : Bertramides contrâ cui talia reddit
 Multa vovens : Salve, ò salve Jesseja Virgo,
 O quæ Te memorem Virgo, mea Diva, meum Cor !
 Bertramidæ spes una, novi Dux inclyta belli.
 Auspice Te, cunctis ibo, mora nulla, periclis
 Obviis, experiar casus terræque, marisque
 Quò me cumque vocet Fidei decus : impia vincam
 Tartara, & exuvias referam Tibi viator opimas.
 Sed prius ipse tuam, jam transfuga Mart., ad aram
 Armorum excubias peragam. nec plura locutus,
 Ensem, quem dono Hesperius Regnator habendum
 Ipsi olim caro dederat Fernandus alumno,
 Ensem fatiferum lateri detraxit, & auro
 Fulgentem lævæ clypeum, tibi Diva trophæum,
 Bertramides, quondam quæ gesserat arma, resignat :
 Dein rigidam squamis loricam, alboque orichalco
 Squalentem, & multo perfusas sanguine cristas,
 Hastamque, & rutilos electro, auroque cothurnos
 Ante Aram ingenti affixit de more columnæ.
 Hic verò noua lux oculos perstrinxit, & ignes
 Emicuere, novoque Polus discessit hiatu

Iessæ nutu Matris ; passimque per auras

Auditæ Superūm choreæ ; procul ecce curuli
 Insidens altè properat Theodoxia nimbo
 Dona ferens ; quæ postquam orantem, arasque tenentem
 Bertramiden vidit, roseo sic ore locuta est.

En Divina tibi quæ munera mittit olympo
 Rex Superūm, hæc palmæ sint omina certa propinquæ ;
 Ne mox, aut monstris Orbem, Loyola, frementem,
 Aut ipsum dubites in bella laceffere Ditem.

Hæc ait, auratum dein obtulit illa Volumen,
 Atque orbem Clypei solido ex adamante : pyropis
 Illius inscriptum in medio flammatibus ardet
 Nominis Augusti Divinum Insigne, verentur
 Quod Superi, supplex colit Orbis, Averna tremiscunt.

Intereà tantis dignatus honoribus Heros
 Dona stupet, proditque hilari sua gaudia vultu :
 Jamque gerit lævâ clypeum, dextrâque volumen
 Corripuit, quod forte manu dum tractat inermi,
 Ensis erat, radiosque procul mittebat, & ignes :
 Exors portenti genus, exortesque triumphos
 Quod notat, atque Erebi luctus, cladesque futuras.
 Iamque ensem vigili lustrat dum lumine, miris
 Vndique cælatum obstupuit Loyola figuris.
 Nanque illic pheretrum, & lethi pallentis imago
 Cernitur, eductis agitataque sortibus urna.
 Dein tuba, quæ cantu cineres, atque ossa sepulcris
 Terrifico ciet, ac solium sublime Tonantis :
 Stant fontes animæ lævâ, dextrâque piorum
 Lecta cohors, hominum vitas, & crimina Iudex
 Discutit, æquato librans examine lances,
 Quos damnet scelus, & quò vergat pondere Virtus.
 Nec procul hinc vasti regnum illætabile Ditis

Panditur, æternis ubi gens luit impia flammis
 Crimina inexpletum lacrymans: Furiæque catenis
 Informes animarum umbras terrentque, trahuntque.

Parte aliâ adversas acies, adversaque signis
 Signa, Duce mque Duc i motis insurgere castris
 spiceret; dispar belli genus, alter in hostes
 Quadrifidum dextrâ lignam gerit, alter inani
 Torvus acerbâ fremitus nisu movet arma, dolisque
 Hostem magnanimum, summâque invadere opum vi
 Tendit; at effusis luget sua fata maniplis.

Sidereum demùm verso jam cardine sedem,
 Obsitaque innumeris Superum capitolia painis
 Cernere erat; rutilant gemmeis aggesta coronis
 Gemmea sceptra, manus victorum, ac tempora quondam
 Ornatura: adytis solium consurgit inaccessum,
 Augustum, sublime, ingens, undè arduus axem,
 Terraque, pelagique plagas, erebumque profundum
 Omnipotens regit imperio, vinclisque coercet.
 Iamque ensem, volvens oculos per singula, miris
 Cælatum signis fatorum haud inscius Heros
 Intuitus, Regi Superum, Magnæque Parenti
 Persolvit meritas tanto pro munere grates.

His actis, Divum stipata phalangibus aureo
 Alma Parens, unaque comes Theodoxia curru
 Avolat, ac rutilam fecuit per nubila rimam,

At fera tænariis subito eluctata cavernis
 Tisiphone rursus Loyolam invadit, Honoris
 Belligeri os, habitumque gerens: ensemque columnæ
 Abstulit, & prior hæc: Quò te furor improbus egit
 Ah demens Loyola tui nec jam memor? ultrò
 Tela manu, tela hesperiis devota triumphis
 Proiiciens, patiare situ squalescere? nec te

Lau-

Laudis amor, nec te magni data munera Regis
 Excierint? quæ te cœperunt tædia martis?
 Te per ego hunc, tua quem viætrix modò gesserat ensem
 Dextera, Bertramide, per avitum nomen, & ingens
 Per decus imperii, quod te Duce floret, Iberi,
 Exue degeneres animos, precor. accipe forti
 Ensem fulmineum dextrâ: quòcumque vocet res,
 Tecum adero sternens palmis iter. haud tulit acer
 Bertramides ultrâ, & divinis fævus in armis
 Irruit exultans animis, strictumque coruscat
 Mucronem, & ficti capulo tenus abdit Honoris
 In latus: exuvia tum verò, atque arma revolvi;
 Nusquam Honor, aufugiens tenues evasit in auras
 Larva: Erebi nigris præceps se se intulit antris
 Tisiphone devicta: ingens Loyola trophæum
 Virginis antè Aram statuit: nam rursùs Iberum
 Ensem, & Belligeri spolium suspendit Honoris.

**LAVS DEO, AC SS. VIRGINI MARIAE SINE LABE
 CONCEPTÆ, AC S. P. N. IGNATIO.**



